

# ADNOTATIONES

## IN TOMUM SEXTUM ANACLETI REIFFENSTUEL

### ADNOTATIO I.

*Lib. V. Decretal. Tit. I. De accusationibus, § VIII,  
n. 565; pag. 125.*

#### DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

Lector benevolus opportune revolvet paginas  
tomi secundi, ubi cum libro III decretalium auc-  
tor tractat de Judicis, de Foro competenti et cæ-  
teris, a pagina scilicet 167 et deinceps. Adnota-  
tiones praefati voluminis, ad materiam spectantes,  
eadem commendantur, in primis Adnotationes  
XXIII, XXIV, XXXIV et XXXVII.

### ADNOTATIO II.

*Lib. V. Decretal. Tit. II. De calumniatoribus, n. 29;  
pag. 128.*

PROPOSITIONES CIRCA CALUMNIATORES PROSCRIPTÆ;  
DE PENA VERBERATIONIS, ET DE CALUMNIANTIBUS  
CONFESSARIOS.

Inter propositiones ab Innocentio XI, die 2 mar-  
tii 1679, proscriptas sub penis adversus eas do-  
centes, defendantes, edentes, vel de iis, etiam dis-  
putative, publice aut privatum tractantes, nisi for-  
san impugnando, excommunicationis ipso facto in-  
currendae et Papæ reservatæ, ac prohibitionis in  
virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione  
divini judicii contra quosquam easdem ad proxim  
deducentes, sunt in ordine :

« XLIII. Quid, non nisi veniale sit, detrahentis  
auctoritatem magnam sibi noxiæ falso crimine  
elidere ?

» XLIV. Probabile est non peccare mortaliter  
qui imponit falsum crimen alicui ut suam justitiam  
et honorem defendat; et, si hoc non sit probabile,

vix illa erit opinio probabilis in tota theologia. »

Auctor noster tenet pro pena verberationis in  
materia calumniæ; sed, ut optime animadvertis  
Giraldus, *Expositio juris pontificii juxta recentiorem  
Ecclesie disciplinam*, part. I, sect. 749 : « Verbe-  
ratio, qua inter cæteras penas a jure puniendum  
statuitur clericum calumniatorem, ex contraria et  
longissima consuetudine, non est amplius in usu,  
ut, preter testimonium Clari § final. quest. LXX,  
n. 2, patet ex praxi ecclesiasticorum tribuna-  
lium. »

Benedictus XIV, constit. *Sacramenta peniten-  
tia*, 1 junii 1741, § *Et quoniam*, reservavit Summo  
Pontifici absolutionem cujuscumque personæ falso  
vel per se de sollicitatione accusantis innocentes  
confessarios, vel procurantis ut id ab aliis fiat; qui  
casus eidem Pontifici reservatur, licet nullam cen-  
suram adnexam habeat; ibi :

« Et quoniam improbi quidam homines re-  
periuntur qui, vel odio vel ira vel alia indigna causa  
commoti, vel aliorum impiorum suasionibus, aut pro-  
missis aut blanditiis aut minis, aut alio quovis  
modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito,  
et Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios sacer-  
dotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitatio-  
nis criminis insimulant; ut igitur tam nefaria au-  
dacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis  
penæ coerceatur, quæcumque persona quæ ex-  
erabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per  
se ipsam innocentis confessarios impie calum-  
niando, vel scelestè procurando ut id ab aliis fiat,  
a quocumque sacerdote, quovis privilegio, aucto-  
ritate et dignitate munito, præterquam a nobis,  
nostrisque successoribus, nisi in fine vita et ex-  
cepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ,  
quam nobis et successoribus prædictis reservamus,  
perpetuo careat. »

Et notat Giraldus, loco citato, quod dictus casus  
est Papæ reservatus, etiam post factam a falso ac-  
cusante retractationem.

## ADNOTATIO III.

*Lib. V. Decretal. Tit. III. De Simonia et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur, § I, n. 15; pag. 152.*

DE REBUS MODICI PRETII PRO SPIRITALIBUS DATIS.

Giraldus, *Exposit. jur. pontific. part. I*, sect. 760, transcribit Alexandri III decretalem. *Etsi quiescenes*, hoc titulo, et deinde sic loquitur :

« Hanc decretalem transcribo in eum dumtaxat finem ne, ex ejus intellectu, ceteroquin claro, tyrones in studio juris canonici, minus fortasse cauti, aut laxioris sensus, inde argumenta desunt in simonia dari posse parvitatem materie, cum revera dari nequeat contra naturam ejusdem simoniae, cuius malitia sita est in contemptu rei spiritualis formaliter sumpta, et non materialiter; adeoque ejus malitia, utpote indivisibilis, tota semper reluet tam in magno quam in parvo.

« Nec enim Alexander, dicendo in proposito casu nullius dubitationis scrupulum de simonia emergi debere, cum res data modici pretii, quantum ad personam dantis vel accipientis, extiterit, docet dari parvitatem materie, sed infert dumtaxat ex paritate doni et qualitate personae dantis et recipientis argui non posse utrumque habuisse in mente animum allicendi, et respective ab honestatis proposito ad aliud declinandi, dando aliquid modici valoris, quando vere argui non potest eo fine dari. Quapropter permisum esse concludit sponte offerre poculenta et esculenta, dummodo sicut modici pretii, quae voluntatem recipientis inclinare vel mutare non debeant.

« Haec esculenta et poculenta permittantur etiam a Bonifacio VIII in cap. 11, *Statutum, § Insuper, de Rescriptis*, in 6, respectu judicis, a Sede Apostolica delegati, ibi : « *Insuper, ut gratis et cum omni puritate judicium coram ipso procedat, nullum munus vel quidquid aliud, nisi forsan esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus recipere a partibus qualitercumque præsumat.* »

« Paucos istos dies Glossa hic sentit intelligendos esse, nedium de biduo, sed etiam de pluribus diebus. Idem sentit Thesaurus, *De Panis*, cum Sanchez, verbo *Munera*, cap. vi.

« Permittuntur etiam a Paulo II, const. *Munera*, 18 mart. 1466, respectu gubernatorum civitatum status ecclesiastici, quibus prohibet ne aliquod munus a communitatibus recipient, exceptis dictis esculentis et poculentis, sed breve tempus, intra quod eadem consumi possint, res ringit ad biduum. Permittuntur insuper ab Alexandre VII const. *Inter gravissimas*, 2 maii 1656, de datis et promissis pro obtinenda gratia vel justitia apud Sedem Apostolicam, ut § XII, ibi : « *Porro xenia solita, esculenta et poculenta que judicibus, ministris et officialibus romane curiae exhiberi consueverunt, præfatis prædecessorum nostro-*

» rum litteris ac præsentibus nostris minime prohibita fuisse nec prohiberi cœcernimus. »

## ADNOTATIO IV.

*Lib. V. Decretal. Tit. III, § II, n. 42; pag. 140.*

DE CONSTITUTIONE S. PIU V CONTRA SPECIEM SIMONIAE CONFIDENTIAM DICTAM.

Auctor noster, pag. 137 et seqq. constitutionis S. Pi V, die 11 junii 1569 latæ, *Intolerabilis multorum*, textum præbet, nihil dicens de alia ejusdem constitutionis editione, die scilicet 14 novembris ejusdem anni data, in qua fuit adjectus paragraphus ad S. R. E. cardinales spectans. Unde nobis necessarium videtur hic subjungere prædictum paragraphum, ut lector constitutionem Pianam præ oculis integrum habeat. Post hæc verba : « tenore præsentium concedimus facultatem, » et ante illa : « § X, Non obstantibus, » interponenda sunt sequentia :

« Hodie in consistorio nostro secreto, ut moris est, accepto quod a nonnullis prætendebatur S. R. E. cardinales, obtenui privilegiorum, sub constitutione nostra de confidentiis beneficialibus, saltem quoad privationem, censuras et alias pœnas in dicta constitutione contentas, propter non factam in clausula impositionis illarum speciale et expressam de dictis cardinalibus et privilegiis mentionem, minime comprehendendi, licet aliter mentis et intentionis nostræ fuerit, quemadmodum et ex litteris dictæ constitutionis colligi posset. Ad tollendum tamen omne dubium atque impedimentum, quominus constitutio præfata, commune bonum et salutem animarum concernens, plenarium effectum sortiatur, declaravimus omnes S. R. E. cardinales in constitutione et litteris præfatis ac singulis earum partibus, etiam quoad privationes, omnesque et singulas alias censuras et pœnas in ipsis litteris contentas, comprehendi, ac contrafacientes privationes, censuras et pœnas ipsas incurrire, prout nos illos omnes includi et incurrire volumus, eo ipso.

« Decernentes sic per quoscumque, etc... etiam cardinales, in quavis causa et instantia, sublata, etc... judicari etc... debere, necnon irritum etc... attentari.

« Ac privilegii præfata, necnon exemptions, conservatorias et indulta omnia, per quoscumque Romanos Pontifices, etc... etiam motu proprio et ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, et ei quibuscumque causis in genere vel in specie concessa, confirmata, extensa et moderata, et quoscumque tempore observata, ad effectum præfatorum revocavimus, annullavimus, viribusque et effectu quoad haec prorsus carere decrevimus, voluimusque et statuimus tenores privilegiorum, etc... qualiacumque sint, præsentibus pro plene et suficienter expressis haberi; solamque

## ADNOTATIO VI.

hanc schedulam manu gstra signatam, et in cancellariæ Apostolicæ libro ad perpetuam rei memoriam registratam, absque alia litterarum confectione, sufficere, camque et ejus exempla ubique locorum in judicio et extra illud fidem facere. »

## ADNOTATIO V.

*Lib. V. Decretal. Tit. III, § II, n. 42; pag. 140.*

SIXTI QUINTI CONSTITUTIO DE CONFIDENTIA BENEFICIALI PRO GALLIIS.

Sixtus V, quoad executionem constitutionum Pii IV et Pii V in regno Gallie, edidit sub die 13 aug. 1587 aliam constitutionem, *Pastoralis officii*, pœnas in iisdem inflicas moderantem; ibi :

« *Pastoralis officii...* cum autem, sicut acceperimus, litteræ prædictæ in regno Gallie ob temporum injuriam aliasque varias subortas difficultates, diversaque impedimenta adhuc debitæ executioni non fuerint demandatae, ac propterea tam perniciosum confidentiæ vitium, quod celeriter extirpari et eradicare oportuerat, in dies magis serpere ac propagari noscat in maximum animalium periculum ac scandalum plurimorum, nos, ad hanc corruptam et regno illo, quod non ita dum omni christianarum virtutum genere floribat, et adjuvante Domino etiam in posterum florabit, tollendam ac prorsus eliminandam, animaliumque saluti in primis consulere volentes, omnibus, et singulis dicti regni archiepiscopis et episcopis, eorumque officialibus et ad quos de jure et consuetudine pertinet, per præsentes mandamus ac sub interminatione divini judicii districtius injungimus ut in suis quisque ecclesiis, civitatibus, diocesisibus et locis, etiam exemptis, ad prædicta studiose attendant, et in eos quos in confidentiæ criminis, præsertim vero in aliquo ex easibus superius expressis, etiam per presumptiones et conjecturas prædictas, delinquisse constiterit, severe animadverterat. Qui, si premissis exequendis negligentiores fuerint, eorum negligientiam suppleri volumus a capitolis ecclesiistarum metropolitanarum et cathedralium, ac etiam collegiarum, ubi de beneficiis ipsarum collegiarum ecclesiistarum agatur, ac etiam ab abbatis seu prioribus claustralibus, et conventibus monasteriorum, aliorumque regularium locorum, ubi eorumdem monasteriorum seu locorum officiis et beneficiis quæstio extiterit; et nihilominus appellations a sententiis, quas contra delinquentes hujusmodi fieri contigerit ad proximos superiores juxta canonicas sanctiones devolvi, executionem tamen sententiarum prædicatarum minime impediare aut retardare.

« *Beneficia vero, occasione confidatiae hujusmodi ad præsens vacantia et in posterum vacatura, ab ipsorum beneficiorum ordinariis collatoribus, perinde ac si dispositioni dictæ Sedis Apostolicæ minime reservata fuissent, libere conferri et de illis provideri posse et debere decernimus, dum*

tamen talium criminum participes aut consentientes non fuerint. Quo casu, ac etiam ubi iidem ordinarii collatores per sex menses, a die detectæ et comprobatae seu convictæ confidentiæ, beneficia ipsa, ut præfatur, vacantia canonice conferre et de illis providere neglexerint, beneficiorum eorumdem collatio et provisio ad proximos superiores devolvatur. Quæ vero beneficia de jure patronatus laicorum fuerint, ad eorumdem patronorum presentationem, dummodo in crimen hujusmodi non fuerint participes, conferri. De ecclesiis vero ac monasteriis, aliisque beneficiis ecclesiasticis, ad carissimi in Christo filii nostri Henrici III, Francorum regis christianissimi, nominationem spectantibus, ad novam ipsius regis nominationem juxta concordata seu indulta a Sede Apostolica ei concessa, volumus spectare.

« *Fructus vero ex ecclesiis, monasteriis et aliis beneficiis prædictis male et indebet perceptos, in usum ac reparationem ecclesiistarum, monasteriorum et beneficiorum prædictorum, super quibus confidentia hujusmodi contracta et commissa fuerit, per archiepiscopos, episcopos seu officiales aliosque predictos converti et applicari posse voluntus ac decernimus.*

« *Magnopere hortantes et enixe in Domino requirentes eudem regem christianissimum ut omne studium, operam et auctoritatem ad prædicta peragenda et exequenda præstare et impetriri velit.*

« *Absolutionem autem a censuris et pœnis ac irregularitatibus propter crimen confidentiæ hujusmodi quomodolibet incurris, pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae apud regem prædictum nuntio, et quoad provincias sub legatione Avenionensi comprehensas eidem Avenionensi legato, cum facultate alios subdelegandi, de quorum pietate ac prudentia magis confidant, per præsentes commitimus et demandamus.*

« *Non obstantibus Pii IV et Pii V prædecessorum prædictorum litteris quas, quoad dictum regnum in superius expressis duximus relaxandas et moderandas, illis nihilominus quoad alia regna et loca in suo robore duraturis, aliisque Apostolicis constitutionibus, privilegiis quoque et indultis generalibus vel specialibus quorūcumque tenorū existenterit; et nihilominus appellations a sententiis, quas contra delinquentes hujusmodi fieri contigerit ad proximos superiores juxta canonicas sanctiones devolvi, executionem tamen sententiarum prædicatarum minime impediare valeat quomodolibet vel differri, et de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.*

## ADNOTATIO VI.

*Lib. V. Decretal. Tit. III, § VII, n. 153; pag. 158.*

SIMONIAE VARII CASUS.

Circa decretalem *Nemo 14*, hoc titulo, cum ejus intellectus sit valde obscurus et interpretes dis-

crepent an omission actus spiritualis pro temporali pretio simonie crimen involvat, pro ejusdem elucidatione refert Geraldus, *Expos. jur. pontif.* part. I, sect. 739, quæ a Gonzalez subjiciuntur, ibi:

« Circa actum spiritualem, omissum pro temporali pretio, non consentiunt interpres an simonia sit vel non, eo casu simoniæ committi probari videtur in hoc textu (cap. *Nemo* 14, h. t.), cuius auctoritate docuerunt in pura omissione actus spiritualis pretio aut favore simoniæ committi Glossa, Panormitanus, Felinus et Paludanus in 4, distinct. XXV, quæst. 3. Contraria vero sententiam videlicet nec committi vere sed improprie simoniæ, secundum quamdam similitudinem, existimarent Innocentius, Hostiensis et Joannes Andreas, Victoria elect. 2, *de Simon.* Aragon. 2, 2, quæst. C, art. 1, Bisfeldius in præsenti, qui textum hunc accipiunt de simoniæ similitudinaria et impropria.

» Sed hanc questionem, varijs distinctionibus ad ductis, explicit Barbosa hic, Gibalinus, *de Simon.* quæst. VI, consecr. 12, juxta quorum doctrinam sciendum est Alexandrum III in præsenti duas sue decisionis partes proponere.

» In priori parte duos decidit casus. Primus videlicet est quando presbyter, id est parochus, aliquid emolumenntum temporale recipit a publico peccatore ut episcopo vel ejus vicario celet peccatum illius. Secundus cum ipse, propter consanguinitatem vel familiaritatem alicujus, ejus peccatum celat ne notescat, Quibus casibus certum est presbyterum peccare contra officium, justitiam et charitatem. Unde turpiter accipit pretium pro fure non revelando, aut servo fugitivo non indicando, docetur in L. 4, § 1, ff. *De conduct. ob turpem.* Attamen his duobus casibus nulla proprie committitur simonia, nisi in tali occultatione utatur parochus aliqua potestate spirituali.

» In secunda parte deciduntur ab Alexandro alii duo casus. Primus est cum presbyter peccatorem non vere penitenter, propter gratiam et favorem, ad reconciliationem admittit ut ita testimonium reconciliationis ferat. Secundus cum ipse parochus, propter favorem aut odium, removet a reconciliatione penitentem. Quibus duobus casibus vere simonia committitur, cum potestas spiritualis exerceatur aut omittatur ob pretium aut favorem. Unde illa verba Alexandri « quia simoniacum est utrumque » ad hos duos casus in secunda parte relatos referunt Suarez, lib. IV, *De Simonia*, cap. xxii, n. 14; Barbosa hic n. 2.

» Et si adhuc instes ad totam constitutionem referenda esse prædicta verba, supponendum est in prioribus casibus, ultra omissionem, intercessisse exercitum aliquod spiritualis potestatis, ut docuit Gibalinus supra, consecr. 3, qui inde infert resolutionem ad varios casus in quibus, propter omissionem actus spiritualis, simonia committitur.

» Sanctus Thomas in *Summa theologie*, quæst. C, art. III, ad 3, sentit esse simoniacum, ibi: « Et

propter hoc non licet pro quacumque dispensatione aliquid accipere, nec etiam pro hoc quod vices suas committant, nec etiam pro hoc quod subditos suos corrigan vel a corrigo desistunt. » Quoad duos secundos casus idem sentit hic Maschat. *Instit. canon.* § I, n. 12.

## ADNOTATIO VII.

*Lib. V. Decretal. Tit. III, § IX, n. 184;*  
pag. 171.

## DE TEMPORALI DATO PRO SUSTENTATIONE NOVITIORUM ET DE DOTIBUS MONIALIUM.

« Licet ex decretali *Sane*, cap. 1, huj. tit. in Extrav. comm. novitus gratis in omnibus admittendus sit ad habitum, hodie tamen ex declaratione concilii Tridentini, cap. xvi, sess. XXV, *De regular.* certum est exigi posse quantum sufficiat ad illius victum et vestitum, sive monasterium sit inops, sive locuples, cum concilium indistincte et absolute id permittat, ibi: « Sed neque ante professio nem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiae illius temporis quo in probatione est, quocumque praetextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tributatur.

» Quod autem spectat ad receptionem monialium, ex SS. Congregationum declarationibus per Summos Pontifices approbatib, hæc eadem decretalis locum amplius non habet, licet monasterium sit locuples, etiam quod ordinarium monialium numerum, ut ex declaratione Congreg. Episcop. et regular. refert Fagnanus in cap. *Non amplius*, *De institut.* n. 24 et 25, in qua, post propositionem sibi difficultatem, ortam ex cap. *Quoniam*, *De simonia*, damnante simoniæ labis charactere moniales aliquid exigentes ab ingressura monasterium, eam solvit per hæc verba, ibi:

« Verum hanc difficultatem postea sustulit S. Congr. super negotiis episcop. et regularium quæ, animadvertisens sanctimonialium monasteria sine dotum subsidio diu sustineri non posse, et, propter ingruentes necessitates et casus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontificibus approbatibus, prudenter sanxit ut dotalis eleemosynæ a monialibus numeratis persolveretur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram reddituum monasterii. Ex penuria enim multa proveniunt mala, præsertim in monasteriis feminarum, ut inquit Hostiensis hic in fine jam citati can. *Si quis objicerit* I, quæst. III. Nec obstat textus in dicto cap. *Quoniam*, nam, ut ibi respondet Glossa Joannis in verbo *Pupertatis*, si moniales ita pauperes sunt ut non possint aliquo modo ibi aliam recipere, quia non habent ibi victum, sub hac forma possunt recipere: Non habemus quid demus tibi pro victu nisi tu portes tecum unde vivas; dum tamen hoc non dicatur in fraudem, nec deducatur in pactum,

## ADNOTATIO VII.

## 621

» arg. cap. *Si quis propter hoc* I, quæst. II. Et quamvis Bernardus ibi, in fine ejusdem Glossæ, addat tutius esse ut nullo casu taliter aliqua recipiatur, tamen praxis quotidiana docuit id sine gravi monasterii detimento servari non posse. »

» Quare clare inferitur non esse simoniacum has dotes recipere, ut etiam expresse declaravit Congreg. concilii, sub die 14 april. 1725, in causa *Bononien.* tom. III *Thesauri resolut.* dictæ Congreg. pag. 154, per hæc verba:

« De hoc articulo actum fuit in hac S. Congr. anno 1683, editaque consultatione a Belgio transmissa satis ampla et luculenta, die 18 sept. ejusd. anni, in causa *Belgii subsidiorum dotarium*, propositum fuit sequens dubium: cum in Belgio fuerit dubitatum an simoniacum sit recipere dotem solvendam pro victu, amictu, supellectili et aliis necessariis ad sustentationem pueræ voluntatis ingredi monasterium, supplicantur EE. PP. pro hujusmodi dubii resolutione; et S. C. respondit non esse simoniacum, ut videatur est lib. XIII *Decretor.* fol. 310 a tergo. » Et idem respondit in cit. *Bononienst.*

» De hoc eodem articulo, postquam egregie disseruit Benedictus XIV, *De syn. dæc.* lib. XI, cap. vi, n. 5, refellendo contrarias auctorum opiniones et potissimum Van-Espen, cap. ii, *Tract. de virtute simonie*, circa ingressum religiosis auctoritate prefatarum resolutionum, et ex decretis conciliorum Mediolanensis a S. Carlo Borromæo celebratorum, I anno 1565, part. 3, II anno 1569, cap. 2, hec subdit n. 5: « In hac opinione varietate diu anceps haeserat Sacra Congr. concilii, et quandoque propenderat in Turonensem Patrum sententiam, sicut a Fagiano accepimus, sed, cum experientia didicerit nullum reperiri adeo opulentum sanetimonialium cœnobium quod, ad reparanda quotidiana suorum reddituum decrementa, non egeat novarum dotum accessione, firmiter tandem amplexata est S. Caroli decreta, eaque religiose observari voluit: quod non solum constat ex allegatis ejusdem decisionibus, sed adhuc clarius ex alia quæ revertur in *Bibliotheca Præmonstratensi*, pag. 336, cuius verba sunt: Non vestiantur moniales, nec admittantur ad habitum, nisi prius parentes, vel illi ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote vel eleemosyna consueta, et illam deposituerint solvendam monasterio post emissam professionem. »

» Inhaerendo postea laudatus Benedictus, quoad alia præter dotem, prohibitioni hujus Urbani decretalis *Sane*, hoc episcopis salutare reliquit monitum n. 6, ibi:

« Illud autem curabit episcopus ne, ultra præfinitam dotem monasterio pendendam alia pecunia summa a puellis extorqueatur in monialium commodum, alias usus impendenda, qui ad puellæ sustentationem nequaquam pertinent; id quippe, cum nulla ratione honestari valeat, adhuc remanset sub censura Extrav. I, *De*

» simonia, inter comm. ubi Urbanus V utriusque sexus regularium monasteriis districte inhibuit ne, ante aut post cuiusquam in religione ingressum, quoscumque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum quemvis vium usum alium deputatas vel deputandas, directe vel indirecte petere vel exigere quoquomo præsumant. »

» Quomodo autem, et penes quem dotes deponi debeant, tradit cardinalis Petra in *Commentar. ad constit.* XII Innocentii IV, sect. I, n. 59, ibi:

« Istarum autem dotum, tam intra quam extra numerum, debet fieri depositum penes aedem sacram, vel saltem apud idoneam personam, et quidem effectivum in pecunia... alias teneretur episcopus, si actus invalidi esset conscius, ut resolvit S. C. episcoporum... et debere fieri in pecunia numerata, vel in cedula bancaria; nec sufficere si fiat in stabili, et censu, et obligatione, aut alia re, nisi cum licentia Sacra Congregationis... In loco ubi non adest neque ædes sacra, neque publicus ac idoneus campsor, ab ordinario vel monasteri prælato approbadus, debet pon in deposito monasterii cum duabus clavibus, una penes episcopum, et altera penes abbatissam, etsi agatur de monasteriis exemptis et subjectis regularibus... et, si fiat penes particulares campsores, cura episcopi debet esse ut tuto collocetur, cum facillime eveniant collusiones et fraudes. »

» Et hæc quoad receptionem monialium intra numerum. Si vero recipienda sit monialis supernumeraria, ex decretis Congreg. episcoporum et regularium relatis a cardin. Petra, loco cit. n. 55, dos solvi debet duplicata. Si vero agatur de admissione puellæ in monasterium in quo jam admissee fuerint duas ejusdem sorores, tunc, ut refert Lucius Ferraris. *Prompta biblioth. v<sup>o</sup> Moniales*, art. II, n. 46 et seqq. « Dotem triplicatam solvit tertia soror, si numerus monialium sit minor nonaginta; si vero major, admittitur cum duplicita... si vero pater sit bene meritus etc... admittitur etiam cum dote ordinaria... »

» In *Bracnarensi* autem, 27 aug. 1616, sic rescribit S. C. episcoporum: « Aut tertia soror intra præfinitum monialium numerum in monasterium introducenda est, aut supra illum; si ut numerata ingredi voluerit, eleemosynam totalem duplicitam monasterio persolvat, suffragioque tam activo quam passivo carebit, quoique altera ex duabus ejus sororibus e vita decesserit; si vero supra definitum monialium numerum admittetur, speciali hujus Congreg. licentia opus erit; que quidem concedi non solet nisi ex conditione ut ipsa tertia soror triplicatam eleemosynam dotalem monasterio solvat, nec, reliquis ejus duabus sororibus simul superstibus, activo vel passivo suffragio gaudeat. »

» Sed notandum circa licentiam, de qua in hoc allato decreto, quod de style curie, juxta laudatum Petram dict. n. 55, dari quidem solet a præfata Congr. pro monialibus Italæ et insularum